

Georg Radow

**Amplissimae Facultatis Iuridicae in Universitate Rostochiensi Decanus, Georgius Radovius, D. & Codicis Professor, Ad Disputationem Inauguralem, Dn. Johannis Christophori Schröder/ Wismariensis, Ad diem 11. Maii ... officiose & amice invitat**

Rostochi[i]: Kilius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741214393>

Druck Freier  Zugang



Verjähmung von Vergehren

RU jur. 1676.

Georg Radovius, Praes. 10

Johann Christoph Schröder, Post.

Sci. Progr.



AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURI-  
RIDICÆ IN UNIVERSITATE  
ROSTOCHIENSI


DECANUS,  
GEORGIUS  
RADOVIUS, D.  
& Codicis Professor,

*Ad*

DISPUTATIONEM INAUGURALEM,  
DN. JOHANNIS CHRISTO-  
PHORI Schröder / Wismariensis,

*Ad diem II. Maji, pro consequendis summis in utroque  
jure honoribus, & Privilegiis solemniter habendam,*


MAGNIFICUM DN. RECTOREM,  
Excellentissimos Dnn. Professores, & cæ-  
teros omnes, omnium Ordinum Cives Academicos,  
ac Literatos, horumq; Fautores, suo æquè, ac  
totius Collegii Juridici nomine, officiosè  
& amicè invitat,



ROSTOCHII.

Typis viduæ JOANNIS KILII Acad. Typogr. ANNO M. DC. LXXVI

1676



Vi bene ac feliciter admini-  
strata reipublica in Christiano or-  
be affectant gloriam, non tantum  
eo intendunt ingenii vires, quo po-  
tentiâ & opibus florentem reddant  
civitatem, sed etiam ut Iustitiæ alia-  
rumquæ virtutum decore eandem  
exornent. Quemadmodum enim  
summa singulorum hominum felici-  
tatis constat operationibus secundum virtutem, ita verum  
sociati quoque corporis bonum in iisdem erit quarendum,  
adeo ut spelunca latronum potius, quàm civitas reputanda  
sit, quæ munimentorum virorumque robur, auricunulos  
& id genus alia externi splendoris ostentat, intus verò fœdis  
manifestæ injustitiæ, aliorumque vitiorum sordibus inquina-  
ta, omnium aliarum rerum potius, quàm honestatis com-  
mercio floret, vigetque. Cæterum in corrupta hac homi-  
num conditione, quâ uberius (proh decus!) malorum, quàm  
bonorum ubique seges reperitur, non adeò in facili est vir-  
tutis exercitium in rempublicam invehere, multorumque  
in eare torperent occupationes, nisi vera illa & non simulata  
Philosophia verus illud ac familiare suum afferret consilium,  
atque in remedium proponeret præmia & pœnas *vid. l. I. S. I.*  
*ff. de just. & iur.* Nimirum tenera ac generosa ingenia, quæ  
paucis

paucis contingunt, spe præmiorum ad honesta incitari vide-  
mus, intractabilia verò & refractaria, quorum major nume-  
rus, non nisi pœnarum metu coerceri. Quare ad ejiciendas  
vitiatorum sordes è civitate, omninò curandum, ut non magis  
justitia distributiva, quàm punitiva officio suo fungatur. E-  
quidem utriusque magna vis est ad extirpanda mala, hujus  
tamen frequentior quàm illius usus, & plura ubique pœna-  
rum, quàm præmiorum munimenta extare videas; quæ res  
sædam ætatis nostræ faciem detegit, quâ virtuosos habere ci-  
ves prodigii instar habetur, magna verò felicitas habere non  
vitiatorum. Hoc igitur rerum statu nulla res æquè erit necessa-  
ria in republica, ac juxta criminum punitio, & perpetua hu-  
manæ societatis conservatio pendere videtur à frequenti pœ-  
narum usu, ita ut qui earum justitiam in dubium vocare ve-  
lit, extremè malus & eas meruisse judicandus sit. Deus, &  
qui ejus vicem in terris gerunt, Magistratus, consensu Le-  
gis naturæ, pœnalia jura in respublicas introduxerunt, quò  
innocentiæ adversus malitiam humanam subveniretur, ju-  
stitiæque nihil tam congruum reputarunt, quàm ut mala  
actionis per mala passionis retunderentur, pœnæque ita con-  
jungerentur delictis, ut ab his ad illas necessario esset proce-  
dendum. Nimirum est aliquid hac in re, quod ad contra-  
ctuum naturam accedit, ita ut sicuti, qui contrahit, tacitè  
se obligasse censetur ad ea omnia, quæ contractus sunt na-  
turalia, non aliter delinquens sua voluntate se videatur obli-  
gasse pœnæ, eamque mereri voluisse per consequentiam,  
dum directò voluit peccare, ideò quod delictum non possit  
non puniri. Pœna enim haud absurdè dicitur deberi deli-  
cto, & quemadmodum ex debito constat obligatio ad red-  
dendum, ita rationi non minus congruum erit dicere, no-  
centi aliquid reddi, malum scilicet pœnæ pro malo culpæ, quàm  
nocentem aliquid reddere, eo sensu quo *Augustinus 3. de lib.*  
*arbit.*

*arbit.* inquit : Si non reddit faciendo justitiam, reddet pati-  
endo miseriam, quia in utroque verbum illud debiti sonat.  
Hoc enim etiam modo dici potuit : Si non reddit faciendo,  
quod debet, reddet patiendo quod debet. Eleganter & ap-  
positè in hanc rem *Philo lib. 1. de vit. Mos.* dixit : peccare dum  
festinatis, ad pœnas ferendas festinatis; nec minus scitè *Impp.*  
*Severus & Antoninus* cuidam *Asclepiadi in l. 34. ff. de jur. fisc.*  
Ipse te huic pœnæ subdidisti. Nam qui excedunt delin-  
quendi modum ipsi sibi pœnam sanciant, notante *Servio ad*  
*4. Aeneid.* Quæ cum omninò vera esse & natura pœnarum  
& ipsa ratio evincat, non minus supervacaneum foret quæ-  
rere, debitane sit criminum punitio, an saltim licita, quam à  
veritate alienum, cum *Grotio l. 2. c. 10. n. 7. & 2.* aliisque, eam  
ad genus licitorum ideò referre, quod delinquens jus non  
habeat pœnas à judice exigendi. Equidem verum est, cum,  
cui propriè debetur aliquid, in alterum jus habere, sed hoc  
tum demùm, quoties de personis quæritur, non autem de  
debito hoc reali & nexu inter culpam & pœnam. Non igitur  
minus rectè dicitur, pœnam deberi delinquenti, quam  
delinquentem debere pœnam reipublicæ, ut luat & solvat,  
quia culpa & pœna sunt relata in genere moralium, ubi unum  
ponit alterum, & quidem ità, ut unum alteri debeatur.  
*vid. Zigler. & Osland. ad all. loc. Grot.* Ex his quoque patere  
arbitror, solidiori niti fundamento, qui pœnarum irrogatio-  
nem ad Justitiam commutativam, quam qui ad distributivam  
eam referunt, quamvis non desint, qui ipsam actionis mali-  
tiam in se, à damno alteri per eam dato, adeoque pœnam à  
restitutione damni accuratè distinguentes, novam justitiæ,  
vindictivæ sc. speciem faciant, ideò quod hæc cum Commu-  
tativa non adeò exactè conveniat, & pœna plerumque non  
tam delinquenti, quam societati debeatur, cui, non verò sem-  
per nocenti, ex malignæ ejus dispensatione aut impunitate  
fiat

fiat injuria. *conf. Pufend. Elem. jurispr. Univers. lib. 1. def. 17.*  
§. 4. Quicquid hujus sit, cum omnia peccata vel directè vel indirectè humanam societatem lædere credantur, quæ in illis quoque puniendis ad hanc potissimum erit respiciendum, & pœnæ quantitas ex utilitate publica mensuranda, sive illa ad exemplum, sive ad satisfactionem læsi, sive ad emendationem peccantis pertineat, quibus omnis pœnarum finis absolvitur. Cæterum ista quam exstruximus, ad pœnam obligatio, quæ absolutam puniendi necessitatem inferre videtur, non ad eò in humaniter erit accipienda, ac si per eam omnis ad ignoscendum via esset inter præclusa, nec aliqua veniæ spes relicta. Equidem Stoicæ Philosophiæ autoritas ac rigida sapientia, quæ peccata omnia paria esse voluerunt, & virum gravem non facillè flecti oportere, plures in eam traxit sententiam, quod nunquam ignoscere liceat, cui etiam favere hæc videtur ratio, quod pœnæ persecutio legis auctoritati relige servetur, & quod intersit rei publicæ, crimina non manere inulta, ne alii sub spe veniæ ad peccandum invitentur. *Bodin*us certè pronunciare non dubitat *l. 3. c. 5. de republ.* gravius peccare magistratum commiserationem affectantem, quam si crudelis videatur, quoniam hoc Cives in officio, metu Legum & pœnarum continet; illa mores ac Leges Civitatis solvit, peccandique licentiam, impunitate propositâ, solet afferre. At longè humanior, quamvis ejus sectæ adversa, vox hæc est Senecæ: *in Panam, si tutò poterit, donet, sin minus, temperet lib. 1. d. Clement: cap. 20.* Justitiæ nec divinæ nec humanæ ad universatur venia, quæ ob justas causas conceditur. Sicut enim debitum Civile vel in totum vel pro parte remittere licitum est, cur in debito pœnæ duriores sumus? Utilitas certè rei publicæ, quæ mensura est pœnarum, interdum appro-




approbare jubet illa cujusdam Regis apud Cassiodorum  
verba: Qui periculosè justus sumus, sub securitate semper  
ignoscimus. Quid quod plurima committantur pecca-  
ta, quæ optimo jure punienda relinquuntur Deo, qui &  
ad ea noscenda sapientissimus, & ad expendenda æquis-  
simus, & ad vindicanda potentissimus est. Sed hæc ulte-  
rius prosequi jam non vacat; illud saltim addimus, ad  
venix causas non ineptè referri præscriptionem delicto-  
rum, ubi sc. Legum conditoribus placuit, ne quis post  
definitum Lege tempus, de crimine perpetrato, quasi  
obtentæ ejus remissione, respondere aut pœnam eo no-  
mine subire cogatur, non quidem ex solâ vi temporis,  
utpotè quod sua natura nullum effectum producere po-  
tens est, sed ex voluntate Legumlatoris, qui istam virtu-  
tem temporis tribuere societati Civili utile, nec justitiæ  
adversum judicavit. Dignum profectò accuratiore con-  
sideratione argumentum, quare illud, INAUGURALIS  
DISPUTATIONIS loco, tractandum sibi sumsit Claris-  
simus Candidatus noster, DN. JOHANN. CHRISTOPH.  
SCHRODERUS, qui cum Wismarix, mense Julio An-  
ni 1652. parentibus honestissimis, Patre nimirum JO-  
HANNE Schröderi / Mercatore, dum viveret, ac Cive  
primario, Matre vero Ulsebe Gröningen / Viri quondam  
Amplissimi CHRISTOPHORI Gröningen / Senatoris  
WisMariensis filiâ primogenitâ, in hanc lucem editus es-  
set, vitam omnem honestatis ac literarum cultui non  
saltim devovit, sed etiam eâ transegit industriâ, ut cum  
ætate vires quoque ingenii excolendo, amicorum spem  
si non supergressus sit, certè æquaverit. Quâ in re du-  
ces quoque fidelissimos & privatos & publicos nactus  
est, inter quos eximie laudat, LAURENTIUM &  
CHRISTIANUM BUNSOVIOS, WisMariensis quondam  
Scho-

Scholæ Rectores meritissimos, nec non ANDREAM PAULI Sub-Conrectorem ibidem æstimatissimum, eorumque industriæ ac fidei prima Studiorum suorum incrementa ac elementa grato animo accepta fert. Cumque ad altiora proventus, Legum imprimis ac juris cognitionis amore flagraret, ad illum explendum nostras primum salutavit Musas, ac bono statim omine Hospitem pariter ac Doctorem accepit Virum Nobilissimum, Amplissimum & Consultissimum DN. HERMANNUM LEMBKENIUM, JCrum, Antecessorem hujus Academiæ, & Syndicum reipub. Rostochiensis optimè meritum, Collegam olim nostrum conjunctissimum, nuac desideratissimum, cujus quoque dignissimo filio, DN. JACOBO LEMBKENIO, J. U. D. & Institutionum Prof. Publ. Collegæ & Amico meo honoratissimo, præter Philosophiæ moralis pariter ac Civilis cognitionem, non ultimos in Juris studio progressus sese debere gratâ mente fatetur. Eam quoque scientiam ex solidâ cæterorum JCrum nostri Lycei famigeratissimorum doctrinâ tantâ sui fiduciâ auxit, ut jam ante biennium Disputationem de TESTAMENTO parentum inter liberos irregulari & privilegiato, me Præside, publicè nec sine gloriâ defendere non sit veritus. Hoc igitur modo post peractum hic integrum triennium Lipsiam concessit, ibique summorum JCrum studiis ad augendam Legum prudentiam non superfuntoriè adjunctus, consilio parentum & necessariorum, iterum ad nos reversus est, non alio fine, quam ut ubi plurimum laboris impenderat, ibi ejusdem quoque præmium quæreret ac impetraret, ac postea futuris, quas meditatur, peregrinationibus, cum majore fructu vacare posset. Amplissimæ  
ergo


ergo Facultati nostræ ante aliquot Menses nomen suum  
professus privatim certamen cum laude sustinuit, meru-  
itque ut publico jam sit sistendus. Cui cum 2. instantis  
Mensis Maji dictus sit dies, ut id tantò reddatur illustrius,  
Magnificum Dominum Rectorem pariter ac omnes,  
quotquot in hac Academiâ vel Urbe Literarum vel Do-  
ctores, vel favitores & sectatores audiunt, ad Actum  
hunc dignissimâ suâ præsentia celebrandum, Candi-  
datoque nostro aut linguis aut auribus, favend-  
dum, eâ quâ par est humanitate  
invito.

P. P. sub Sigillo Facultatis die 23. April.  
Anno M. DC. LXXVI.









a peragenda, ubi ne quidem centum annis præ  
decif. 26. n. n. Thef: decis. 298. n. 1. In aliis delictis  
anonico juris civilis præscriptio locum habet, cum  
i. de Operis nov. nunt. XVI. in delictis In-  
15. §. 4. ff. quod vi aut clam: Ferrand: Gurgias  
Zilletti cons: 124, n. 14 XVII. In delictis futuris,  
licentiæ non præscribatur arg: l. 3 in f. C. d. Episc:  
in actione Civili, quæ triennio, uti & in ac-  
quisitione instituta quæ intra biennium fi-  
d. Judicis ibique Brunn. n. 1. Et l. 3. C. ut intra  
centacinquies var: resol: l. 2. Resol: 4. d. Judicis n.  
multis casibus limitat. De Jure Canonico qui-  
ennio non fieri dicunt per c. venerabiles 20. X.  
tamen ad l. 13. C. d. judic. non expresse eo jure  
ratam esse existimat, cui etiam cum Dn Brunn.  
dic. n. 58. seqq. subscribimus. Hoc utique cer-  
perciali terminum legis civilis non observari; sed  
nos extrahi Myof. lib: 2. Obs. 48. Andr: Gail. l. 1.  
141. n. 7. Et lib: 1. d. P. P. c. 9. n. 15 Quod etiam  
niæ judicis observatur, ut proinde, teste Joann.  
ept. p. 1. c. 1. n. 70. vers: hoc tantum, quæ Do-  
ateria instantiæ triennii in causis civilibus, & bi-  
nialibus, & de exceptione peremptæ instantiæ  
putant, nullum hisce temporibus videantur ha-  
nem vero cum Stephano Nathenio d. lustr:  
Hillig. in Donell: lib: 26. c. 2. lit: Q & Brunn:  
ui lites abominantur, constitutionem Imp. Ju-  
ari optant. XIX. In actionibus civili-  
elcendentibus, quæ durant usque ad 30. an-  
munem Dd. opinionem Farinac: pr. Crim:  
34. Jul. Clar: in pr: § ult: q. 51. n. 2 in fin:  
60. ubi & dicta ampliat. In puncto juris tamen  
3, etiam 20. vel tot annis, quot præscribi-  
m ex delictis actionem terminari, cum præscri-  
ollat per superius dicta §. 10. n. 4. jam vero &  
in delictis, per vulgaria; sublata igitur causa  
tollitur